

8. Procès de sorcellerie intenté contre Jaquette Pelorinaz, de Martigny 1459 avril 25 – mai 10. Château de Martigny

Résumé : *Jaquette Pelorinaz, de Martigny, arrêtée le 4 avril 1459, comparait le 25 avril 1459 devant le vice-inquisiteur [et représentant de l'évêque de Sion] Pierre Ginod, au château de Martigny. Après la quatrième monition et à la demande du procureur de la foi Victor Massenet, la sentence interlocutoire est rendue par la cour le 28 avril et exécutée le lendemain. L'inculpée avoue et dénonce au total 12 personnes (8 hommes, dont 3 déjà défunts ; et 5 femmes, dont 2 déjà défuntes). Le 1^{er} mai, suite à la confirmation des aveux, le lieutenant de l'inquisiteur conclut le procès. Le 5 mai, Jaquette ratifie à nouveau ses aveux devant le vicaire épiscopal Pierre Cochard. La sentence est rendue le 10 mai au cimetière de l'église paroissiale de Martigny. Jaquette est condamnée à la confiscation de ses biens et à la remise au bras séculier pour être punie, ainsi que deux autres femmes, Michelle de Villa et Agnès de Luchia. Elles sont mises au bûcher le jour même.*

Commentaires : *Bien que ce procès concerne le Valais savoyard et le diocèse de Sion, il a été réuni au registre ACV, Ac 29, qui contient majoritairement des procès relatifs au diocèse de Lausanne et au pays de Vaud. Les éditeurs respectent ainsi l'unité codicologique du registre.*

Le procès de Jaquette Pelorinaz occupe les pages 92 à 103 du registre Ac 29 ; les pages 101 à 103 ont été laissées en blanc. Le notaire et clerc François Bosset rédige chacune des étapes du procès et il s'intitule scriba inquisitionis, mandaté par le vice-inquisiteur Pierre Ginod. Les lignes correspondant aux aveux et à leur confirmation par l'accusée (responsio, repetitio et ratificatio) sont rédigées par une deuxième main anonyme ; il s'agit vraisemblablement de celle du notaire Jean de Loes, de Sembrancher, dont François Bosset aurait validé les écrits de la signature de son propre nom. Cette deuxième main se rapproche beaucoup de celle, aussi anonyme, qui a écrit la sentence, conservée indépendamment du procès dans le fonds factice des Archives de Martigny-Mixte.

[Note d'archives dans la marge de gauche par une main du XX^e siècle :] 1459 avril 25

Processus contra Jaquetam Pelorinaz, suspectam de secta heretice pravitatis

[25 avril 1459]

Anno Domini millesimo IIII^C LIX^{no} et die vicesima quinta mensis aprilis [25.04.1459], in castro Martigniaci¹, vigore assignacionis facte comparet coram venerabili et egregio viro fratre Petro Ginodi, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie professore, locumtenente reverendi patris hereticeque pravitatis inquisitoris a sancta Sede apostolica specialiter deputati in diocesibus Sedunensi, Lausannensi et Gebennensi, necnon eciam vicesgerente in hac parte auctoritate sibi commissa reverendi in Christo patris et domini domini Vualterii, Dei et apostolice Sedis gracia episcopi Sedunensis, comitis et prefecti Vallesii, videlicet dicta Jaqueta Pelorina, de Raspis², parrochie Martigniaci, suspecta de crimine heretice pravitatis.

Quequidem Jaqueta promisit et juravit juramento suo corporali, tactis Dei euvangeliiis per eandem in manibus prefati domini <locuntenentis>, et sub pena habere delictum pro confesso de quo inculpatur et est supecta si de perjurio convicta fuerit.

Interrogata an sciat causam sue detencionis, que Jaqueta dicit quod non.

Qui prefatus dominus vicarius sibi Jaquete <notificavit> quod est detenta pro crimine heresis et <apostassie> de quo inculpatur et tenetur pro suspecta, presentans prefatus dominus vicarius dicte Jaquete presenti et audient^ai eamque diligenter exortatus est quod si voluerit confiteri, dicere et declarare veritatem quam sciverit de et super dicto heresis crimine, se offert sui parte necnon prefati domini Sedunensis episcopi sibi facere misericordiam de jure redeuntibus et penitentibus ad sanctam matrem Ecclesiam, puro corde et fide non ficta, promissam facere et concedere auctoritate dicti inquisitionis officii.

Quequidem Jaqueta dicit et respondit se numquam fuisse nec esse de secta hereticorum et non indigere propter hoc de misericordia sibi supra presentata.

Quibus auditis, prefatus dominus <locuntenens> quo supra nomine dictam Jaquetam pro prima monicione juridica monuit et diligenter, ut convenit, exortatus est ut ipsa Jaqueta hinc ad diem jovis proximam XXVI dicti mensis aprilis [26.04.1459], hora none, super premissis advertere velit et compareat personaliter coram prefato domino locumtenente in ipsiusque presencia omnimode confiteatur veritatem de et super dicto crimine heresis de quo est inculcata et tenetur pro suspecta, presentans ut supra sibi Jaquete misericordiam sancte matris Ecclesie que redeuntibus et penitentibus, puro corde et fide non ficta, est <promissum>.

De quibus premissis omnibus prefatus dominus^b locumtenens michi notario subscripto peciit litteram testimonialem, presentibus ad hec vocatis et rogatis, videlicet venerabilibus religiosis Petro Vuilliens et Petro Rolaz, canonicis Montis Jovis, Jacobo de Fausonay, Johanne de Bertholinis, Johanne de Prato, Perrodo Morandi, Rolando de Basqueria et pluribus aliis testibus etc.

[Signature :] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial] / [p. 93]

[26 avril 1459]

Secunda monicio

Anno et loco quibus supra et die vicesima sexta mensis aprilis [26.04.1459], vigore assignacionis suprascripte comparuit personaliter eadem Jaqueta coram venerabili religioso fratre Victore Maceneti, ordinis fratrum Predicatorum³, in decretis <baccallario> et ad hoc misso^c per egregium fratrem Petrum Ginodi predictum, locumtenentem ut supra.

Quiquidem frater Victor, procurator fidei quo supra nomine sibi Jaquete misericordiam Ecclesie in forma juris presentavit si puro corde, fide non ficta, redire vellet ad gremium sancte matris Ecclesie et omnimodam dicere veritatem de se et suis complicitibus.

Que dicta Jaqueta respondit eidem fratri Victori se nichil scire de hiis de quibus inquirebatur contra eam.

Quibus auditis per dictum fratrem Victorem, assignavit eidem Jaquete horam, videlicet ad eandem diem, hora vesperorum, coram ipso personaliter comparituram^d pro tertia [monicione]^e, ut sibi^f veritatem diceret de hiis de <qua> inculpatur.

De quibus premissis omnibus dictus^g frater Victor quo supra nomine michi notario subscripto peciit litteram testimonialem, presentibus Ansermo Albi, de Sancto Brancherio, et Johanne Bas, famulo castellani.

[Signature :] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial]

[26 avril 1459, plus tard]

Tercia monicio

Anno, indicione, die [26.04.1459], loco et coram testibus quibus supra, vigore assignacionis suprascripte comparuit personaliter eadem Jaqueta coram prefato domino <locumtenente>.

Quiquidem locumtenens sibi Jaquete misericordiam Ecclesie in forma juris presentavit si puro corde, fide non ficta, redire vellet ad gremium sancte matris Ecclesie et omnimodam dicere veritatem de se et suis complicitibus.

Que dicta Jaqueta respondit eidem domino locumtenenti se nichil scire de hiis de quibus inquirebatur contra eam.

Quibus auditis, dictus dominus locumtenens assignavit eandem Jaquetam, ad diem sabbati sequentis XXVII dicti mensis [27.04.1459]⁴ personaliter comparituram, coram ipso domino locumtenente, etc.

De quibus premissis omnibus et singulis prefatus dominus locumtenens michi notario subscripto peciit litteram testimonialem, presentibus quibus supra. / [p. 94]

[27 avril 1459]

Quarta monicio ex habundanti

Anno et loco prenotatis et die sabbati vicesima septima mensis aprilis [27.04.1459]⁵, vigore assignacionis prescripte comparuit personaliter eadem Jaqueta coram prefato domino locumtenente.

Quiquidem locumtenens sibi Jaquete pro ultimo dictarum monicionum termino et ex habundanti, quia misericordia sancte matris Ecclesie est major quam malicia et peccatum, dicte Jaquete misericordiam Ecclesie in forma juris presentavit si tamen puro corde, fide non ficta, redire vellet ad gremium sancte matris Ecclesie et omnimodam dicere veritatem de se et suis complicitibus.

Que dicta Jaqueta respondit eidem domino locumtenenti se nichil scire de hiis de quibus inquirebatur contra eam.

Quibus auditis, dictus dominus locumtenens assignavit eandem Jaquetam ad dies sequentes coram ipso personaliter comparituram ad inquirendum in propriam personam eiusdem Jaquete secundum formam juris pro veritate ex ore

suo habenda, alias dicturam et proposituram causam justam et rationabilem, si quam habeat, quare in propriam personam eiusdem inquiri non debeat, instante procuratore fidei, ulteriusque processurum, ut fuerit rationis.

Datum die et anno quibus supra [27.04.1459]⁶, in castro Martigniacy, presentibus ad hec vocatis testibus Jacobo Cavelli, clerico et notario publico, et Johanne Bas, famulo castellani.

[Signature:] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial]

[27 ou 28 avril 1459]

Sentencia interlocutoria

Anno, die et loco [27.04.1459]⁷ prenotatis comparuit in castro Martigniacy dicta Jaqueta assignata coram nobis et interrogata si et desuper hiis de quibus intitulabatur et inculpabatur veritatem dicere vellet.

Que respondit se de dicta materia nichil scire nec scire velle.

Quibus auditis, dictus dominus locumtenens interrogavit eam si aliquos inimicos capitales haberet et a testimonio repellere vellet.

Que respondit et dicit quod non.

Et insuper interrogata si se deffendere super hiis^h / [p. 95] vellet et ad suas deffensiones admitti, que dixit se esse bonam et perfectam et aliud nichil dixit.

Quibus suis responsionibus auditis, prefatus frater Victor Macteneti, jurisperitus et baccallarius in decretis, procurator fidei, attentis accusationibus, variationibus, indiciis et famaⁱ magno tempore contra eandem Jaquetam laborantibus, peccit in eius personam inquiri, donec et quousque veritas ex ore eius haberetur.

Nos igitur frater Petrus Ginodi, sacre theologie professor, vicarius locumtenens reverendi patris, fratris Reymondi de Rota, ordinis fratrum Predicatorum, in diocesibus Lausannensi, Gebennensi et Sedunensi inquisitoris auctoritate apostolica specialiter deputati, necnon et auctoritate reverendi in Christo patris et domini domini Vualterii de Supersaxo, Dei et apostolice Sedis gracia episcopi Sedunensis, in hac parte michi concessa usque ad sentenciam diffinitivam exclusive, ut patet per publicum instrumentum receptum per venerabilem virum dominum Leonardum Prepositi, canonicum ecclesie Sedunensis et procuratorem dicti reverendi domini Sedunensis, habito consilio cum libris et peritis, te Jaquetam, attentis diffamacionibus et maxima infamia contra te magno tempore laborante, perjurio et indiciis magnis et claris contra te laborantibus, in propriam personam inquiri, instante procuratore fidei, declaramus et ordinamus donec et quousque veritas ex ore tuo habeatur, citra tamen mortis periculum, sanguinis effusionem, membrorum mutillacionem, de quibus sollemniter protestamur.

Datum in castro Martigniacy, die et anno premissis [27.04.1459]⁸, presentibus ad hec vocatis testibus, videlicet nobili Jacobo Exchamperii, venerabilibus

religiosis domino Petro Vuilliens et domino Petro Rola, canonicis Montis Jovis, nobili Henrico de Fausonay, Ansermo Albi, Berthoieto de Antronaz, Johanne de Drapello et Perrodo Morandi.

[Signature :] Franciscus Bosseti [Seing/signé notarial] / [p. 96]

[30 avril 1459]

^jResponsio facta per Jaquetam Perolinaz inquisitam.⁹

[Note dans la marge de gauche :] Accusati

^kAnno Domini millesimo CCCCLIX^o et die ultima mensis aprilis [30.04.1459], vigore assignacionis prescripte comparuit coram prefato domino locumtenente domini inquisitoris prenominata Jaqueta Perolinaz inquisita.

Quiquidem dominus locumtenens interrogavit dictam Jaquetam an velit confiteri et declarare veritatem quam sciverit de et super crimine heretice pravitatis de quo est inculcata, diffamata^l et suspecta.

Que Jaqueta, liberata ab omni vinculo carceris, torture et questionis, dicit, confitetur et deponit verum esse quod quadam vice, diu est, et non recordatur de tempore, ut dicit, Johannetus Falquet quondam, eiusdem secte heretice pravitatis, sibi dixit quod iret ad domum ipsius Johanneti; et venit eadem Jaqueta, et dum fuit ante domum dicti Johanneti, reperit ibi dictum Johannetum et quendam hominem nigre speciei. Qui Johannetus dixit dicte Jaquete : « Venisti huc ; oportet quod tu maneat nobiscum ». Et adinvicem habuerunt multa verba. Deinde idem Johannetus dixit dicte Jaquete : « Oportet quod tu te reddas isti homini et habebis multa bona et omnia que volueris ». Que Jaqueta, instigante dicto Johanneto Falqueti quondam, fecit homagium dicto homini nigre speciei.

Interrogata^m qualis erat homo ille, dicit quod erat dyabolus.

Interrogata quo nomine vocabatur, dicit quod vocabatur *Bochar*, prout sibi dixit.

Interrogata qualiter scit quod erat dyabolus, dicit quod eum cognovit in specie et eciam in actibus suis.

Interrogata quomodo fecit homagium, dicit quod dedit sibi osculum in culo. Deinde, instigante dyabolo et Johanneto Falqueti predicto quondam, negavit Deum et fidem catholicam et sacramenta Ecclesie et pro homagio sibi dyabolo in specie qua supra donavit grossum digitum, et ipse dyabolus in specie qua supra mordidit digitum sibi donatum.

Interrogata in quo loco fuit in secta hereticorum, dicit quod fuit pluries in domo dicti Johanneti.

Interrogata qui erant presentes, dicit quod erat dictus *Bochar*, quedam mulier vocata *Berengiz* quondam, Johannetus Falquet quondam, Anthonia, uxor Johannis de Mollendino quondam, Agnex, uxor Johannis de Luchia, Michalla de Villa¹⁰, Perretus Abbatis, Johannetus Joren quondam, Petrus de *Leschelleyr*, et

plures alii, in numero circa XVIII personarum, de quorum nominibus ad presens non recordatur ; eciam erant plures stranei quos non cognoscebat.

Interrogata quid faciebant in dicta secta, dicit quod bibebant et comedebant, deinde supponebant.

5 Interrogata qualis eam cognovit in secta carnaliter, dicit quod dictus Bochar dyabolus eam pluries cognovit carnaliter.

Interrogata an sit aliqua / [p. 97] differencia in <cohitu> carnali de dyabolo et homine, dicit quod sic, quia habet membrum grossum et multum frigidum et habitat ad modum bestiarum brutarum subvertendo ordinem nature hominis.

10 Interrogata quomodo ibat ad sectas, dicit quod dictus Bochar eam multociens portabat ad sectas.

Interrogata quomodo, dicit quod sibi tradiderat unum baculum cum onguento, qui per invocacionem dyaboliⁿ ducebat eam ad sectam, dicendo « Joz joz, parte dyaboli ! ».

15 Interrogata quo lumine utebantur in sectis, dicit quod habebant lumen trublidum et candelam nigram ; et quando volebant supponere, candela erat suffocata ; et dicit quod in galli cantu incontinenti recedebant a secta.

Interrogata de quibus cibis comedebant in secta, dicit quod comedebant panem, vinum et carnes.

20 Interrogata de quibus carnibus, dicit aliquando de carnibus castronis et bovis, et aliquando de carnibus puerorum ; tamen ipsa non commedebat, ut dicit, et multociens erat Johannes Abbatis et Anthonia, uxor Petri Begex.

Interrogata in quo loco capiebant pueros, dicit in cimisterio ecclesie parochialis Martigniaci.

25 Interrogata qui erant illi pueri qui fuerant capti per eos in cimisterio, dicit quod non recordatur, quia jam diu est quod non fuit in secta, ut dicit.

Item dicit quod quadam vice fuerunt in secta apud Levronum, in domo Perrodi Rasi, et ibidem erant eadem Jaqueta et inter^o alios quidam vocatus *Cognet de Alesses*¹¹ et Perrussodus Veniandi¹² quondam.

30 Interrogata qualiter apperiebant^p portas quando ibant in domibus et citurnis, dicit quod magister ipsorum, scilicet dyabolus, apperiebat.

Interrogata qua die tenebant sectam, dicit multociens in die jovis.

35 Interrogata an timebat quando dyabolus portabat eam, dicit quod sic, aliquando ; eciam dicit quod oculi faciebant sibi malum propter velocitatem quando ibat, eciam pro aere.

Interrogata an tempore quo ibat ad sectas, maritus suus se perceperit de eadem de nocte, dicit quod non, quia dormiebat ; tamen quando ipsa veniebat, idem maritus suus sibi Jaquete dicebat : « Quid habes ? Tu es ita frigida. »

40 Interrogata an ^q-confessa fuerit^q capellano delictum / [p. 98] heresis, dicit quod non.

Interrogata an receperit corpus Christi in festo Pasche quolibet anno, dicit quod sic, sicut alii in ecclesia.

Interrogata qua devocione recipiebat, dicit quod aliquando habebat devocionem in se, tamen numquam potuit venire ad confessionem de huiusmodi delicto heresis, nec fuit illius voluntatis^r.

Aliud nescit de gestis per eam in secta, quia, ut dicit, diu est quod non fuit in dicta secta et non recordatur de aliis preter de suprascriptis, se offerens quod quando recordabitur, confitebitur et declarabit prefato domino viceinquisitori veritatem.

De quibus premissis omnibus prefatus dominus locumtenens domini inquisitoris michi notario subscripto^s precepit litteram testimonialem, presentibus ad hec vocatis testibus, videlicet venerabilibus domino Petro Rolaz, canonico Ripallie, domino Petro Vullien, canonico Montis Jovis, nobili Jacobo Exchamperii, Jacobo Cavelli, notario, Anthonio Promentz alias Berthoieto, de Introna, et Johanne Bas.

[Signature :] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial]

[1^{er} mai 1459]

Repeticio facta dicte Jaquete et conclusio facta in processu

Anno quo supra et die prima mensis maii [01.05.1459], vigore assignacionis facte comparuit coram prefato domino vicario et locumtenente domini inquisitoris, videlicet prenominata Jaqueta Perolinaz.

Quiquidem dominus viceinquisitor diligenter interrogavit et avisavit dictam Jaquetam an ea que supra deposuit sint vera et de eisdem bene certificata, et an velit aliquid a dicta sua responsione remove, mutare vel addere pro sola facti veritate dicenda^t.

Que Jaqueta dicit^u et suo corporali juramento, tactis per eam sanctis scripturis in manibus prefati domini locumtenentis, dicit quod ea que supra deposuit sunt vera et de ipsis est in animo suo bene certificata et avisata et^v dicit quod nesciret aliud dicere quia non recordatur.

Et fuit interrogata per prefatum dominum inquisitorem an velit concludere in suo / [p. 99] presenti processu vel alias facere allegaciones pro suis deffensionibus habendis ; dicit quod non vult petere preter misericordiam Dei et Ecclesie et contentatur quod concludatur in suo processu, quia aliud nesciret dicere preter ea que deposuit.

Et pari forma comparuit egregius frater Victor Macteneti^w, in decretis baccallarius, procurator fidei, petens concludi in dicto processu.

Quibus audittis, prefatus dominus vicarius et locumtenens domini inquisitoris de consensu dictorum procuratoris fidei et Jaquete concludit in dicto processu, dicendo : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen ».

De quibus premissis omnibus et singulis prefatus dominus procurator fidei michi notario subscripto peccit dari litteram testimoniam, presentibus ad hec vocatis testibus, videlicet nobili Johanne Exchamperii, <vicedopno> Martigniaci, Jacobo Cavelli, notario, Angellino Obsert, Perrodo Morandi, Johanne Leonardi, Bertholeto de *Intronaz* et Johanne Bas, familiaribus castri dicti loci Martigniaci. Actum in dicto castro, die et anno premissis [01.05.1459].

[Signature:] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial]

[5 mai 1459]

Rattificacio facta per dictam Jaquetam de premissis

10 Anno quo supra et die sabatti quinta mensis maii [05.05.1459], fuit eadem Jaqueta interrogata per egregium dominum Petrum Cochardi, vicarium domini Sedunensis episcopi, de et super premissis an illa sint vera, sicut deposuit. Que dicit quod sic et illa omnia ractificat tamquam vera.

De quibus, etc., presentibus ad hec vocatis testibus nobilibus Petermando de Chivrone, vicedopno Sedunensi, Petro eius filio, et Jacobo Exchamperii.

[Signature:] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial] / [p. 100]

[10 mai 1459]

^xAssignacio facta dicte Jaquete ad audiendum jus et diffinitivam sententiam super ^y suo processu

20 ^zAnno quo supra et die decima mensis maii [10.05.1459], hora prime, de mandato prefatorum dominorum vicariorum ^{aa} per me scribam inquisicionis assignata [fuit]^{ab} prefata Jaqueta super intitulatis, ibidem presens et audiens, ad diem presentem, hora none, coram prefatis dominis vicariis personaliter comparitura ad audiendum jus et diffinitivam sententiam peremptorie et precise per eosdem

25 ferendam super dicto^{ac} ^{ad} suo processu contra eandem Jaquetam formato.

Actum in castro Martigniaci, die et anno premissis [05.05.1459], presentibus ad hec vocatis testibus Johanne de Drapello, Angellino Obsert et Johanne Bas, famulo castellani.

[Signature:] Franciscus Bosseti [Seing/signe notarial]

30 / [p. 101] / [p. 102] / [p. 103]

Original: ACV, Ac 29, p. 92–103; Papier.

Édition: Ammann-Doubliez dans Ostorero 2007 et al., p. 166–185.

Littérature: Ostorero 2005, p. 366; Ammann-Doubliez 2007, p. 199–223; Ostorero 2010, p. 19, 26–27, 31; Pittet 2010, p. 212; Ammann Doubliez et al. 2014, p. 161; Ammann Doubliez 2020.

35 ^a Correction par-dessus, remplace: d.

^b Suppression par biffage: vi[carius].

^c Corrigé de: missis.

^d Corrigé de: .

^e Omission, complété(e) par analogie.

f	<i>Suppression par biffage : di[ceret].</i>	
g	<i>Suppression par biffage : dominus.</i>	
h	<i>Correction par-dessus, remplace : hoc.</i>	
i	<i>Corrigé de : famam.</i>	
j	<i>Changement de main : main secondaire (B).</i>	5
k	<i>Changement de main : main secondaire (B).</i>	
l	<i>Corrigé de : deffamatata.</i>	
m	<i>Correction par-dessus, remplace : us.</i>	
n	<i>Suppression par biffage : nos.</i>	
o	<i>Suppression par biffage : eos.</i>	10
p	<i>Corrigé de : apperiebat.</i>	
q	<i>Correction en bas de page, remplace : consa fuerit.</i>	
r	<i>Corrigé de : volunctatis.</i>	
s	<i>Corrigé de : subscripsto.</i>	
t	<i>Suppression par biffage : non.</i>	15
u	<i>Suppression par biffage : quod.</i>	
v	<i>Suppression par biffage : quod.</i>	
w	<i>Suppression par biffage : u[t].</i>	
x	<i>Changement de main : main principale (A).</i>	
y	<i>Suppression par biffage : eorum processibus.</i>	20
z	<i>Changement de main : main principale (A).</i>	
aa	<i>Suppression par biffage : fuerunt, fuit.</i>	
ab	<i>Omission, complété(e) par analogie.</i>	
ac	<i>Correction par-dessus, remplace : is.</i>	
ad	<i>Suppression par biffage : eorum processibus.</i>	25
1	<i>Martigny, jadis seigneurie épiscopale, est passée au statut de châteltenie savoyarde en 1384 ; au point de vue ecclésiastique, elle fait partie du diocèse de Sion.</i>	
2	<i>Un des quartiers de Martigny.</i>	
3	<i>Il s'agit des Dominicains établis au couvent de la Madeleine à Lausanne (Modestin dans Ostorero et al. 2007, p. 364).</i>	30
4	<i>Le samedi 27 avril 1459 n'existant pas, il faut sans doute comprendre le samedi 28 avril ou le vendredi 27 avril.</i>	
5	<i>Pour la date, voir la note précédente.</i>	
6	<i>Voir la note précédente.</i>	
7	<i>27 ou 28 avril 1459.</i>	35
8	<i>Voir la note précédente.</i>	
9	<i>La main semble changer, l'écriture étant beaucoup plus cursive.</i>	
10	<i>Agnès de Luchia et Michelle de Villa furent condamnées en même temps que la dite Jaquette Pelorinaz (AACM, AcMy Mixte, nr. 150 et Ammann-Doubliez dans Ostorero 2007 et al., p. 186–187.</i>	
11	<i>Alesses, situé au-dessus de Dorénaz, était un village régi au Moyen Âge par le droit écrit. Il se trouvait dans une situation compliquée au point de vue droit. En effet, il faisait partie de la paroisse de Saint-Maurice, pays de droit écrit, mais il appartenait à la châteltenie de Martigny, pays de coutume. Aussi fut-il détaché en 1431 de la châteltenie de Martigny pour être rattaché à celle de Saint-Maurice (AACM, AcMy Mixte, nr. 588 ; voir aussi AACM, AcMy, Bâtiaz, A 4).</i>	40
12	<i>Un Ulric Viniandi est syndic de Charrat en 1423 (AACM, AcMy Mixte, nr. 122).</i>	45